


Schönh.  
De militaris  
ex casu  
ad. Norrell.  
53. C. 57.

1769.





Pi. 42. Blatt 11.

19. D. CHRISTIAN. FRIDER. IMMAN. SCHORCH  
IN UNIVERSITATE ERFORD. PROF. PVBL.  
ORDINARII

DE

# MILITIIS EX CASV

AD NOVELL. 53. C. 5.

## DISQVISITIO.

P. 261

Kb 5381



---

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE  
MDCC LXIX.



D. CHRISTIANI TRIDERICI MAMM. SCHORCH  
IN UNIVERSITATE TUBECO. PROS. 1640.  
CLODINARII

DE

MILITIS EX CASA

AD NOVEMB. 1640.

DISSESSATIO



PARACLETUS ET EPISCOPUS  
MDCCXIX.



**T**am est in iuris nostri libris frequens *militiarum* mentio, ut de iis scribere, lucisque paululum iis adfundere conari inutilis labor censi non possit. Inprimis vero *militiarum ex eas* nomen, ut minus obuium ita et minus expeditum, explicationem pleniorum non respuere videtur. Efsi enim dudum literatissimi JCti incidenter, et quoties occasio tulit, de iis sententiam dixerint: nondum tamen res ita ad liquidum perducta est, ut omnis de iisdem vltior disputatio pro superuacua haberi iure possit. Quapropter licebit, credo, et mihi congregatis potioribus Interpretum sententiis meam qualemcumque sententiam seu conjecturam superdicere.

Militia generatim spectata est vel *armata* et *castrensis*, vel *inermis* et *Civilis* 1). Proprie et antiquitus in Republ. Romana militis et militiae nomen eos eorumque officium duntaxat significabat, qui belli pericula repellunt, et vt *Impp. LEONIS et ANTHEMII* 2) verbis vtar, gladiis clypeis et thoracibus nituntur, proeliisque atque vulneribus patriam parentesque saluant: sed secutis temporis

A 2 bus

1) conf. I. vn. C. Negot. ne milit.

1. vn. C. in quibus causis milit. I.

2. C. vbi quis de Curiali. I. s. C. qui milit. non poss. add. SIRMON-

D I Not. ad *Sidon*. L. I. ep. 9. verb:

praerog. part. armat.

2) in l. 14. C. de Advoc. diuers. iudicior.

bus *militum* appellatio producta est ad eos, qui alieni a pulu-  
re et labore castrorum variis Reipubl. ministeriis praeficiuntur.

Hoc sensu *militiarum* nomine veniunt administrationes, officia publica, et ministeria quaecunque, aut ipsi Imperatori, aut Magistribus in rebus ad publicam administrationem pertinentibus praestanda, quaeque salario etiam certaque emolumenta aut ex annonis publicis aut aliunde ex Imperiali liberalitate constituta habebant 3).

Quando militias officia publica fuisse dico, intelligo eiusmodi officia, quae sine Imperio et Iurisdictione erant, et ita excludo *Magistratus* et *Dignitates*, quae munia Militiae nomine haud veniunt, quin sibi iniucem in iure saepe opponuntur 4), adeoque a militiis ad dignitates argumentum perperam ducitur. Adposite CVIACIVS 5): Militiae, inquit, vendi poterant, (dignitates vendi non poterant i. e. potestates iuris dicundi) et pignori obligari, cet.

Militia civilis itaque comprehendebat officia omnia ac munia, atque si haec officia in Aula Principum, sive in sacro Palatio implebantur, *militia palatina* vocabatur, quo pertinent Cubicularii, Silentarii, qui silentia adhibebant sacro somno ut ait CLAVDIA-NVS, Notarii in sacris scriniis militantes, aliique plures 6). Ha-

3) conf. l. 15. C. de Erog. milit. ann. l. 1. C. de Off. praef. Praet. Afr. Nou. § 3. pr. in fin. adde CVJAC, in l. 3. §. 7. ff. de Minor. RIT-TER SHVS. in Exposit. Nouellar. p. III. c. 8. n. 2. qui definiunt *militias* per Officia illorum, qui in aliqua Schola inter Statutos relati erant, ex quo salario quaedam ac commoda a Principe consequebantur.

4) in l. 8. C. de pagan. l. vlt. C. de Jurisd. omnium Judic. § adl. 72. ff. de Legat. et ad l. 1. ff. de Collat.

6) vide tit. C. Theodos. de priuileg. eorum, qui in sacro palat. milit. ibique lac. GOTHOFRED. T. II. p. 23 r. meminit quoque huius militiae palatinæ SIDON. APOLLINARIS L. I. epist. 6.

bebant vero et Magistratus, qui sub iis constituti diuersis actibus publicis operam dabant, eorumque iussibus obsecundabant, quorum officia etiam *militiae* adpellantur. Sic occurunt inter Officiales iudicium et Magistratum Scriniarii, Domestici, Cancellarii 7), Aduocatores, aliquae plures 8). Pertinet huc quoque militia Aduocatorum quae in specie *togata* et *forensis* adpellatur 9). Quid? quod et ipsi Adparitores iudicium *milites* vocantur, eorumque officia *militiae* 10), unde manus militaris in l. 68. ff. de R. Vindicat. quas militias inferiores *Impp.* HONOR. et THEODOS. 11) eleganter *adminicula dignitatum* i. e. Aduocatores Magistratum adpellant.

In omni fere militiarum ordine (Schola saepe vocatur) certus numerus militantum determinatus erat, intra quem qui erant, statuti audiebant, qui vero praeter hunc numerum admissi erant, *Supernumerarii* et *Substituti* dicebantur 12). Hi posteriores titulo et nomine militiae solum vtebantur, at emolumentis carebant, donec in deficientium statutorum locum subrogarentur. Neque tamen gratis statutorum locum occupabant, sed pro *Introitu* aliiquid dependere tenebantur. Mentio fit huius introitus militiae passim 13), atque intuitu militantum in sacris Scriniis prodita in iure nostro est quantitas pro ingressu praefstari solita, nempe is, qui statuti locum intrabat,

A. 3

proximo

7) de Cancellario Praefesti Praetorio, vide locum insignem apud CASIODOR. L. XI. form. 6.

8) videl. 15. 16. C. Theod. de Numerar. Actuar. ibique Iac. GOTHOFRED. T. II. p. 485. et l. 3. C. Theod. de Assessor. Domest. ibique GOTHOFRED. T. I. p. 80. SIRMONDVS ad Sidon. in Notis p. 125. CASSIODOR. L. VI. form. 3.

9) l. 14. C. de Aduoc. diuersi iudic. addit. CASSIODOR. L. V. form. 4.

10) conf. l. 1. C. vbi quis de Curiali. BYNKERSHOEK Lib. III. Obs. Iur. Rom. c. 14. HOMMEL de manu militari.

11) in l. 15. C. de Erog. milit. Annon. addit. l. 2. C. de Cohortal.

12) l. vlt. C. de Jurisd. l. 7. et 11. C. de prox. sacr. scrin. l. 13. C. de Aduoc. diuersi iudicior. l. 15. 16. 17. C. Theodos. de palatinis Sacr. largit.

13) vide l. 102. §. 2. et 3. ff. de Leg. III. ibique GOTHOFRED.

proximo sacrorum Scriniorum 250. solidos, melloproximo vero (id est: ei qui Proximo proximus est, futurus ipse in sequenti anno proximus; sicuti Proximus ideo ita vocatur, quia Magistro Scrinii proximus est) 14), vel adiutori pro consuetudine cuiusque Scrinii 20. aut 15. solidos offerre tenebatur pro *solatio* vel *suffragio* ut dicitur 15).

Verum erogationes tales non tantum in statutorum locum subrogati sustinebant, sed et primum ingredientes militiae ordinem sportularum nomine aliquid insumere necesse habebant. Sic ad Domesticorum scholam venientes 50. vel etiam tantum 15. solidos dabant, habita ratione, vtrum meritorum contemplatione, an suffragio potentum in Aula ad eam promoti essent 16), et vetus hic mos est, vt pro ingressu quid praefetur iis, qui iam in Schola, Collegio, vel Corpore sunt 17).

Hae militiae Ciuiles certa emolumenta et Salaria adnexa habebant, vnde militiarum *quaestus*, *compendia*, *fructus*, et *solatia* per militiam adquisita, passim memorantur 18). Atque hinc est, quod in iure nostro legamus, militiam alicui pro alimentis legatam esse, vt nempe, quoad vixerit legatarius, habeat ex militiae fructibus, quo se alat 19). Haec commoda nonsolum hi militantes quasi iure pecu-

14) *vide Iac. GOTHOFRED. T.*

*II. Cod. Theod. p. 93.*

15) *I. 7. C. de prox. sacr. scrin. I. 11. C. eod.*

16) *I. 3. C. Theodos. de Domest. ibique Iac. GOTHOFRED. T.*

*II. p. 134.*

17) *vide PLIN. L. X. epist. 113.*

*SVETON. in Claudio cap. 9. in fin.*

18) *videlicet C. de silentiar. I. 11.*

*C. de prox. sacr. scrin. et ex parte recensentur in I. 1. C. de Offic. praef. Praet. Afr. I. 15. C. de Erog. milit. Ann. I. vlt. in f. C. de inoff. testam.*

19) *I. 18. §. 2. ff. de Alim. leg. I. pen. §. 2. et 3. ff. de Leg. III.*

lli castrensis possidebant 20), sed et residuum salaryum atque militiae fructum omnem ad heredes transmittebant. Sed hoc postremum ius non omnibus datum fuit, sed quibusdam tantum speciatim priuilegii iure competit, ut Aduocatis fisci, Ducenariis Agentibus in rebus, Scrinariis, primipilaribus, aliisque 21).

Peruenimus nunc ad notabilem militiarum harum differentiam. Nempe aliae in commercio erant, et vendi, cedi, oppignerari ac distrahi poterant: aliae contra personae cohaerebant, nec in alios pro pretio conserri ab eo, qui eas tenebat, poterant. Non obscure haec militiarum differentia in legibus nostris prodita est 22). Atque in aliis quidem ius eas vendendi illimitatum erat, ita ut quanti quisque pacisci potuerit, tanti et vendi potuerint; at in aliis circumscripsum ius vendendi fuit, ut nonnisi ad certam summam usque pretium statuere liceret, quemadmodum in Adiutoribus Quaestorum constitutum legimus, qui non ultra 100. solidos vendere locum suum poterant 23).

Eadem militiae, quae in commercio erant et alienari poterant, ad heredes etiam transmittebantur, *sub certa tamen definitione* ut loquitur *I. vlt. C. de pignor.* id est: si heredes habiles essent, et praeterea pro introitu certam summam collegis offerrent 24). In Adiutoribus Quaestoris 100. solidi determinati erant 25). Quod dixi militias alienabiles etiam ad heredes transmissibiles fuisse, aperte ex legibus in *Nota 22.* recensitis, inprimis ex *I. 30. §. 2. C. de inoff. test.* cognosci

20) *I. vlt. C. de inoff. testam.*

21) *vide I. 15. §. 1. C. de Aduoc. diu. iudicior. I. 3. C. de Agent. in Reb. I. 11. in f. C. de prox. sacr. scrin. I. 1. C. de primipil.*

22) *vide I. 30. §. 2. C. de inoff. test. iunct. I. 20. C. de Collat. I.*

*vlt. C. de pignor. I. §. C. qui milit. non poss. Nou. 136. cap. 2.*

23) *vide Nou. 35. quam integrum exhibet Versio HOMBERGK.*

24) *conf. Dyonis. GOTHOFRED.* ad *I. 13. C. de prox. sacr. scrin.*

25) *per citat. Nou. 35.*

cognosci potest, et in hunc sensum quoque accipiendae sunt leges, quae separatim vtriusque qualitatis mentionem faciunt, vt *l. vlt. C. de pignor.* minime vero cum GLOSSA 26) statuendum est, alias esse militias, quae vendi possint, et rursus alias quarum occasione aliquid ad heredes transmittatur, licet vendi non possint.

Quodsi vero forte heredes ad militiam inhabiles essent, non ideo militia talis hereditati peribat, sed pro ea certam pecuniae sumمام heredes capiebant, nempe eam ipsam pecuniam, quam extraneus in defuncti locum subrogatus pro introitu soluere necesse habebat 27).

Iam quid fiet *militis ex casu*, quarum *Nou.* 53. *cap.* 5. et *Nou.* 97. *cap.* 4. meminit? an has ad alterutrum genus militiarum alienabilium aut non alienabilium referemus, an potius nouum et tertium genus inde efficiemus? Non habet huius quaestionis definitio nullam difficultatem, idque vel propter varias et diuersissimas Interpretum sententias. Has quotquot mihi innotuerunt breuiter indicare et praemittere decreui, ante quam quid mihi ipsi de iis videatur, dicere adgrediar: vt quantopere in iis variatum sit, exinde intelligi possit, quod ipsum mihi, opinor, ad excusationem proderit, si minus recte deinde subduxero rationes.

Initium faciam a *Laelio TAVRELLO*, qui excitatus ab *Anton. AVGUSTINO*, vt suam de his militiis ex casu sententiam diceret, censuit: eam esse *ex casu militiam, quam in alios transferre liceret ex necessaria tantum causa per fortuitum casum imminentem* e. g. se-

26) *ad l. 30. §. 2. C. de inoff. testam.*

27) *l. 30. §. 2. C. de inoff. test. l. vlt. C. de pignor.*

\*\*\*

nectutis vel morbi 28). Putat nempe TAVRELLVS, omnibus  
militias tenentibus, (praeter Adiutores Quaestoris) ex fortuito ca-  
su impeditis licuisse sui loco alios subrogare, omnesque huiusmodi  
subrogabiles militias ex casu adpellari. Respexit TAVRELLVS  
vnice ad *I. vlt. C. de prox. sacr. scrin.* indeque suam sententiam instruxit.  
Sed qui hanc legem perlegit, nihil inde minus, quam definitionem  
militiarum ex casu, quaecunque etiam haec sint, peti posse facile  
intellexerit. Combinanda cum hac *I. vltima est l. 13. C. eod. tit.* ex qua  
patet, Adiutores Quaestoris (qui ex scriniis diuersis adsumebantur,  
ita vt idem homo Scriniarius et Adiutor esset 29), plures paulatim  
creatos fuisse, qui numerus solito maior vt iterum decresceret,  
**I**USTINIANVS sanxit, vt subrogandi facultas, iis antea ex na-  
tura militiarum alienabilium competens, cessare tamdiu deberet, do-  
nec ad pristinum numerum decreuissent. Post tamen XXVI. Adiutori-  
bus hanc substituendi facultatem reddidit, si aliquo casu fortuito a  
ministerio suo impedirentur, per legem, quae citatur in *I. vlt. C.*  
*b. t.* et in *Nou. 35.* quam vero non extare puto. Rursus autem cum  
disceret experientia Imperator, ita intentionem suam impediri, et  
nunquam ad paucitatem Adiutorum numerum redactum iri, fustu-  
lit iterum hanc potestatem transferendi ob casum fortuitum immi-  
nentem loca sua, et Laterculenium et Melloproximorum gradum  
tenantibus eam facultatem duntaxat reliquit, et si vt varius in legisla-  
tione sua fuit, denuo in *Nou. 35.* id mutauerit reducto abrogato iure.  
Iam quis inde militiarum ex casu naturam et indolem colligi posse  
dixerit? Eadem opera et veri specie non minori ex quacunque alia

## B

lege

28) extat eius tractatio in *Thef. Ottow.*

T. IV. p. 1631.

29) conf. CVIAC. ad l. 13. C. de  
prox. sacr. scrin. Erant autem qua-  
tuor scrinia, scrinium Memoriae, in  
quo qui sunt *Memoriales* dice-

bantur, scrinium Epistoliarum, scri-  
nium Libellorum, et denique scri-  
nium Dispositionum l. 12. C.  
Theod. de proximis Comitibus.  
ibique GOTHOFRED. T. II.  
pag. 145.

lege, de militiis tractante, eadem colligi posset. Quaestio est in ci-  
tata lege non de militia in genere, sed in specie de militia Adiuto-  
rum Quaeſtoris, et ex nulla alia cauſa eis negatum eſtius ſubrogandi,  
quam quia nimis excreuerat eorum numerus, non vero, quia ad hoc  
militiarum genus officium eorum pertineat, quas nonniſi ex neceſ-  
ſaria cauſa per fortuitum caſum imminente in aliū transferre li-  
cet, quaeque ideo militiae ex caſu, vt TAVRELLVS ſibi perſua-  
det, vocarentur. Et praeterea ſcimus ſatis, militiarum quae in com-  
mercio erant, alienationem liberam, nec ad neceſſariam cauſam per  
fortuitum caſum imminente restriictam fuiffe: id quod vel ex le-  
ctione Nou. 35. integræ, quam exhibet HOMBERGK, conſtarē  
poſteſt.

Ante quam a Taurello diſcedam, ipsius AVGVSTINI  
ſententia commemoranda ſupererit, qui in literis ad Taurellum  
scriptis 30) eo inclinat, vt nomen harum militiarum *ex cauſa* potius,  
quam ex caſu fuille putet, ad illius missionis ſimilitudinem, quae  
*cauſaria* dicitur in iure noſtro. Sed praeterquam quod textus Grae-  
cus hanc lectionem respuat temere confictam, respondet *Taurellus*  
ipſe cit. loco: "quo minus cauſaria missis hos aequiparari credam, fa-  
cit alterius ſui loco ſubrogatio, pretii perceptio, plerumque et in  
aliam militiam transitus, quae missioni eiusmodi congruere non vi-  
dentur."

Taurelliana sententiae prorsus contrariam proposuit CON-  
NANVS 31), qui eas ex caſu militias nuncupatas vult, *quae mor-  
te eius qui eas tenet, finiuntur, nec ad heredes tranſeunt*: ſic adpellatas,  
quia in eis vitae vel mortis caſus plurimum valeat. Putat nempe  
ſubrogabiles militias ſere omnes fuiffe, ſi quis vero mortuus ſit, an-

30) in T. IV. Thes. Ottom. pag. 1630.  
31) Lib. IV. cap. 15. Comment. Iur. Ciu.

tequam in sui locum supposuisset alium, officium eius beneficii Princis factum esse, nec ad heredes peruenisse: hancque adeo causam fuisse, cur adpellarentur ex casu. Verum CONNANI sententia aperte impingere mihi videtur in leges supra relatas, quae simpliciter adserunt, quasdam militias alienabiles fuisse, sine respectu ad hoc, utrum viuus miles locum suum in alium transtulerit, an non, et easdem militias alienabiles fuisse etiam semper ad heredes transmissibiles. Ex Connani vero sententia militiae non sua natura, sed ex accidenti alienabiles fuissent, et vna eademque militia mox alienabilis mox non fuisset. Et quid tunc fieret hypothecis militiarum, quae exspirare necesse esset militia ex accidenti, morte militis, caduca facta, cum tamen tales hypothecas in militiis alienabilibus firmiter consistere pro certo statuat Imperator in princip. Nou. 53. Non possumus ergo yti, hac Connani sententia et interpretatione.

A Connani proposita sententia non multum abludit sententia CHARONDAE 32), quando ait: Ego vero ex casu militias dici arbitror, quas ex casu pendebant, adeo ut ipsae, si forte milites sine villa subrogatione decadere contigeret, ad Principem venirent, de quibus ipsi ante Iustiniani Constitutionem suo arbitratu disponendi potestas erat. Sed ab earum commerciis non excludebantur milites, nisi casu facto Nouell. 97. c. 4. id est: nisi huiusmodi casus accideret, quo militia tanquam caduca ad Principem veniret. Facit nempe CHARONDAS tria genera militiarum. Vnum quod simpliciter in heredes transit, sub certa definitione tamen, de quo supra locuti sumus. Alterum, quod in heredes plane non transit, nec ad alios transferri potest. Tertium denique genus intermedium, quod a viuente qui-

B 2 dicitur in libro primo dem

32) quam proposuit Lib. I. 712. in Thes. Ottos. Tom. I. pag. 712. derāvā seu Verisimilium cap. 14.

dem ad alios transmitti potest et vendi libere, at mortuo sine subrogatione facta milite intercidit, et tanquam caducum ad Principis collationem reddit, heredibusque nihil in eas iuris amplius competit. Et hae ipsi sunt *militiae*, quae *ex casu* vocantur. Sed videtur mihi CHARONDAS magis ex vsu recentiorum temporum, quam ad sensum iuris Rom. militias *ex casu* definiuisse. In mente sine dubio habuit Canonicatus et praebendas taliaque officia, quae vulgo his militiis comparantur, et hanc fere naturam habent, ut a viuentibus pro certo pretio aliis resignari possint, cum vita expirante hac postestate. Quod vero et iure Rom. huius generis militiae *ex casu* fuerint, CHARONDAS prorsus non probavit, et ipsa *Nou.* 53. eiusque tenor valde refragatur ipsius sententiae, eamque euertit. Ut nihil nunc dicam de interpretatione verborum *Nou.* 97. c. 4. *casu facto*, quae alienissima a mente legislatoris est, ut ex inferius dicendis apparebit.

Hunc excipiat Gottfried MASCOV. 23) qui de nostris militiis ita sentit: Quid si, inquit nomine militiarum *ex casu* intelligamus *exspectantas*? Cur enim rem vtilitate sua commendabilem, et hodie vbiuis obuiam Veteris incognitam putemus, cum ei ad amussum respondeat nomen. Verum instas, ita pergit dubio occursurus, in *Nou.* 53. de militia *ex casu* hypothecae subiecta agi, *exspectantiam* autem, vt pote rem incerti euentus non videri negotium hypothecae admodum habile! Verum inde est, ipse responderet, quod Iustinianus eam hypothecae subiici huic demum permittit, qui ad hoc ipsum mutuum dedit, ut haec *exspectantia* emeretur: eo exitu, ut vel is, qui eam emit, ea fruatur, vel si mutuum reddere detrectat, is qui ad emendam eam credidit, si Emptori eam pretii partem, quae mutuum excedat, praestiterit. Verum enim vero primo non erat,

cur

23) in diff. de Collat. bonorum §. 21.

eur MASCOVIVS militias ex casu ideo exspectantias fuisse adstrueret, quod non probabile sit Veteres hoc nobile inuentum ignorasse. Nam habuerunt utique Exspectantias. Quid enim supernumerarii in Militiarum Ordinibus aliter fuerunt, quam Exspectativa-rii, qui habebant la suruiuance? Quippe ita eorum intuitu ius erat, ut vacante officio s. militiae unius ex statutis, Senior ex supernumerariis subrogaretur, nisi alias ex tempore iunior laborum merito potior esset 34). Deinde verba *Nou. 53. c. 5.* eiusque dispositio satis refutant hanc sententiam, et arguunt ibi agi de militia et officio, quae plus est quam exspectantia. Quos enim fructus Exspectantia in se habet, qui tamen Creditori et Vxori et liberis militis defuncti ibi promittuntur?

Aliam viam iuit CVIACIVS, cuius sententiam ideo ultimo loco reseruauit, quod ceteras omnes verisimilitudine vincere credita, ideoque a plerisque tam antiquioribus et Coaeuis, quam recentioribus Interpretibus recepta atque antelata est: siquidem eam quoque FABROTTVS in Versione Librorum βασιλικῶν 35) adoptauit. Ita vero GVIACIVS 36) suam sententiam exponit ipse: Sunt qui quaerant, quae sint militiae ex casu in *Nou. 53.* frustra. cum nullae vñquam militiae tales adpellationem habuerint, et vero in ea Nouella Iustinianus non dicit Τὰς ἐν τῷ πάτερε καλυμένας στρατίας sed Τὰς ἐν τῷ πάτερε καλυμένας πάτερε στρατίας. Vetat autem a Creditoribus pignori capi casum militiae defuncto debitore, nisi si is eorum pecunia sibi militiam comparasset. Casum militiae adpellari etiam scholae placitum

B 3

IVLIA-

34) l. 1. C. de Agent. in Reb. l. 7. C. de prox. sacr. scrin. l. 2. C. de Off. Magistri off. l. 7. C. Thod. de Agent. in reb.

35) ad l. 3. §. 7. ff. de Minor. adde EVNDEM ad l. 7. C. de prox. sacr. scrin. et ad *Nou. 53.* et 136.

36) Tom. IV. pag. 69.

**IVLIANVS** 37) *Antecessor. Constantinopol.* scripsit, atque ita adpellatur in l. vlt. C. de pignor, siue commune militantium placitum. Est autem id, quod mortuo milite heredes eius vel liberi aut Vxor ex communi scholae placito a Principe capiunt. Nec enim ad heredes militia transit, quae personae cohaeret, sed casus militiae. Igitur et in Nou. 97 casus militiae fieri dicitur mortuo milite. Haec tenus Cuiaciūs.

Enim vero quo minus me Cuiaciane sententiae adscribi patiar, faciunt sequentia, quae me contra illam dubitare cogunt. Non nego CVIACIVM illud quod ex communi scholae placito heredibus dari solet, et quod ille casum militiae appellat, recte ex Iuliano explicasse. Sed aliud est *casus militiae*, aliud *militiae ex casu*. Si Nouella 53. Iov. κάσος τῆς σερλίας memoraret, Cuiacio adsentirer libenter et res conlecta foret. Nunc vero cum ἡας ἐν τῇ καλλιέργειᾳ κάσος σερλίας militias ex ita vocato casu memoret, aliud dicendum puto, et in oculos incurrit ipsas militias *ex casu* ab Imperatore vocari, et simul innui hunc terminum technicum esse, et vsu loquendi receptum. Hoc itaque verum quidem est, in Versione latina sic male legi: *militias quae ex casu vocantur*, neque enim in textu Graeco est ἡας ἐν τῇ καλλιέργειᾳ σερλίας: Sed tamen aequo verum est textum graecum, qui habet: τὰς in τῇ καλλιέργειᾳ κάσος σερλίας sic recte verti:

37) Verba eius haec sunt: "De casu militis. "Si quis militauerit, et non soliendo accesserit, casus militiae eius, qui scholae placitum a quibusdam voratur, non temere Creditoribus concedatur. Ecce enim, si quis ad hoc ipsum, ut militet, defuncto mutuauerit, ipse aequo seholae placito fruatur, inope debitore

defuncto. Sin autem liberi est Vxor a defuncto derelicti sunt, ad eam Principem, et accipiunt eundem militiae casum, quamvis defuncto heredes non existent. Sin autem neque liberos neque Vxorem dereliquerit, rursum etiam ceteris Creditoribus casus militiae subiicitur.

militias ex casu qui ita vocatur, ut proin militiarum ex casu nomen recte se habeat, atque illud τὸν καλεμένον ad ipsas militias, sed ad casus appellationem referendum sit, eoque significetur, terminum hunc vulgari more loquendi usurpari. Hoc vero posito CVIACIVS re vera nihil dixit, nec quid sint militiae ex casu, et quare ita dicantur, nequaquam expedituit. Accedit quod totum hoc capitulum de oppigneratione ipsarum militiarum tractet, non vero de oppigneratione eorum emolumentorum, quae hi Dd. casum militiae dici volunt, et quod Creditores hunc casum militiae, haec emolumenta, mortuo milite adiptere possint, hoc est solummodo effectus hypothecae in ipsa militia constitutae, vt deinceps videbimus: atque hoc obseruato IVLIANI auctoritas frustra aduocatur, cui constitutum erat Nouellae dispositionem in Epitome exhibere, non vero quid sint militiae ex casu explicare.

Quae cum ita sint, dicam quid mihi in mentem venerit de ratione explicandi hoc nomen militiarum ex casu. Nempe dum euolui et meditatus sum textus iuris de his militiis tractantes, in Epitome IVLIANI Nouellae 35. quae de militia Adiutorum Quaeftoris loquitur, reperire mihi visus sum, quod ad interpretationem militiarum ex casu viam monstrare leuem ac simplicem possit. Loquitur IVLIANVS in hac Epitome de iis, qui fiunt in locum eorum, qui suo loco occiderunt, idque ipsum in integro huius Nouellae textu, quem exhibit in Versione sua HOMBERGK, exprimitur per eos, qui in deficientium vel alio modo defientium loca perueniunt, vbi ex contextu patet, verbum deficere se referre ad eos, qui propter varia impedimenta e. g. morbum, senectutem, officio suo superesse nequeunt, et ideo alium sibi subrogant pretio accepto, verbum deficere vero ad eos, qui nullo casu impediti sponte sua militiam dimittere et in aliud, pacto sibi pretio, transferre volunt. Ex his inter se collatis locis mani-

manifestum sit, *loco cadere* hic nihil aliud significare, quam resignare milicium suam, eamque sic vacantem in alium subrogatum transferre. Iam cum haec phrasis *cadere loco*, et *casus militiae*, obseruante id iam Anton. AVGVSTINO in Glossario et passim aliis, quantum ad sensum inter se cognitionem magnam habeant: *militia ex casu* nihil aliud erit, quam *militia resignata et in alium subrogatum translata*, seu: *militia ex resignatione alterius quaesita*, non morte militis vacans; ita adpellata, quia huic subrogato non adquiritur, nisi prior loco suo ceciderit, id est: praevia eius pro pretio accepto resignatione. Non itaque militiae ex casu nouum genus militiarum constituant, sed sunt illae ipsae militiae alienabiles, quae si nouo milite per modum imperatae resignationis a vetero milite, qui eas tenebat, adquisitae sunt, hoc nomine veniunt, et tanquam termino technico et recepto significantur, siquidem ideo etiam in textu Graeco *ex casu* redditur εν τῇ καλεμένῳ κάσῳ eademque vox κάσος repetite occurrit in Nou. 97. Atque hunc casum itaque ad veterem militem, qui militiam alienat, et alii locum facit pretio accepto ideoque *loco cecidisse* dicitur referre debemus.

Dixi quomodo mea sententia militiae ex casu explicari possunt: meamque sententiam, ne Cuiaciana hac in parte deterior videatur, itidem Iuliani auctoritate, et meliore, ut puto, iure, firmaui. Restat, ut experiar, an etiam textus iuris, de his militis agentes eidem conueniant, indeque explicari possint. Incipiamus itaque a NOV. LIII. cap. 5. in hoc capitulo Imperator in principio repetit, antea dubitatum esse, an omnino militiae sub hypothecae vincula deduci possint, sed hoc quidem, addit, per legem (respiciens forte l. vtr. C. de pignor.) definitum esse, atque pro certo haberi militias quae vendi possunt, etiam oppignerari posse. adde Nou. 136. c. 2. Iam Imperator altius haec considerans, et inueniens antiquitus militias hypothecis omnino non subiacuisse, nec nunc eas absolute et indistincte omnibus personis hypothecae nexu teneri voluit, sed ex utroque iure vetero et nouo aliquid adsumsit, neutrumque tamen plene et per omnia secutus est. Ita igitur §. 1. insit: *Sancimus igitur, ut militiae*

litiae ex casu uti vocatur (id est: vt militiae alienabiles et ex resignatione eius, qui eas iam tenet, adquirendae) non omnibus temere oppignorantur, nisi Creditor sit, qui ad hoc ipsum mutuum dedit, vt militia potiretur (illi ergo Creditores solummodo in militia hypothecam pleno effectu gaudentem habere posunt, qui nominatim ad militiam adquirendam crediderunt. Nemo enim sine sumtu militiam adquirere poterat, vt supra dictum, et in specie nemo loco cadere et resignare militiam volebat, nisi pretio militiae accepto, necesse ergo erat saepe militiam adquisituro mutuam eo nomine sumere pecuniam; sed ideo aequum etiam erat Creditoribus talibus, qui pecunia sua efficiebant, vt vetus miles loco suo caderet, hypothecam in militia non inuidere, quam in crediti securitatem sibi constitui curauerant) reliquis enim Creditoribus non temere hoc concedimus, (qui ergo Creditores non ad hoc ipsum vt militia emeretur, sed in aliam causam crediderunt, licet vel omnia bona, vel speciatim militiam debitoris sui sibi oppignerari curauerint, hypothecae ius in militia non consequuntur, ideoque nec viuente debitore suo vindicare militiam, eamque distrahere, nec post eius mortem id exigere posunt, quod pro militia ex tenore communis militantium placiti vel diuinae sanctionis tale praestantis beneficium dari solet: in eo enim consistit utilitas et effectus hypothecae in militia valide constitutae, ut ex l. vlt. C. de pignor. discimus. De hoc posteriore effectu id in specie fancit Imperator quando pergit:) Sed si defunctus liberor vel coniugem habeat, hos omni modo praeferimus, (Cum ergo talis hypotheca sit inualida, saluum manet Debitoris liberorum et Coniugis ius in militia defuncti patris vel mariti alienabili, quod in eo supra diximus consistere, vt vel ex ipsis liberis unus ad militiam aptus sub certa definitione succedere possit, vel ab Extraneo succedente certa pecuniae summa praestetur heredibus defuncti militis, posses etiam dicere, cum his verbis Imperator posteriore effectum hypothecae in

C. ratione ab C. ali. 4. this militia



militia constitutae tantum ademerit, priorem saluum mansisse, adeo que Creditores non impediri vi hypothecae militiam viuentem milite vindicare ac distrahere.) ita ut nos adeant, eaque secundum nostram ius-  
fionem accipient, non tanquam patris hereditatem sed tanquam Imperialem liberalitatem cet. (Haec itaque differentia esse videtur inter heredes militis, cuius militia pignori opposita non est, et eius cuius militia, licet inefficaciter, pignori obligata est, ut in priori casu heredes omnes militis et quidem iure communii, in posteriori casu vero nonnisi Vxor et liberi et quidem ex speciali priuilegio haec commoda, quae pro militia defuncto milite dari solent, nanciscantur) Quod si illis nulli sint liberi, nec Vxor, nec Creditor, qui in militiam credi-  
dit, tunc et aliis Creditoribus hoc concedimus. Haec per se patent. Sic vero optime concordare hoc capitulum cum nostra sententia adpar-  
ret, cuius verba ex Versione Hombergiana tanquam Vulgata ac-  
curationi, ne id ignores, desumsimus.

Supereft NOV. XCVII. cap. 4. quod vulgo etiam de his militiis ex casu accipiunt, eo quod in illo verba casu facto 38) nō ratiōne occur-  
rant. Quod si est, tunc non inepte etiam ex nostra sententia expli-  
cari potest. Verba eius ex Versione Hombergiana haec sunt:  
*Quoniam vero talēm etiam ob causam interpellati sumus, quod quidam alio-  
rum pecunia militent* (militare alicuius pecunia est militiam alterius  
pecunia emtam possidere 38) eosque qui in causas illas crediderunt pra-  
poni oporteat 39); *sancimus si quis re vera in militiam, vel ut filius fiat statu-  
tus* (id est: vt ex Supernumerario fiet Ordinarius, nam et hoc sine  
sumtibus fieri non poterat, quos reformidantes nonnulli statutorum  
locum ingredi aliquando recusabant, ne aes alienum contrahere ne-  
cesset 38) vide l. vlt. C. de pignor. 39) per l. vlt. C. de pignor. et  
Nou. 53. cap. 5.

cesserent 40) vel ob alias similes causas mutuam pecuniam dederit, atque expresse hoc ipsum in instrumento scriptum et pactum ea de re conuentum fuerit, ut casu existente (nō rātēs yuouēs casu factō) ille sit potior, qui in eam rem credidit: ut in bac sola specie mulier cedat cet. Verba itaque casu factō interpreteror ut idem notent ac resignatione secuta, et sic re vera vacante militia adquisita debitori cui ad hoc, ut militia emeretur, credita pecunia est. *¶* Facit huc quod in Libris *Bασιλικῶν* 41) hoc redditum sit *τὰ ἔργα γυναικεία* ipso opere et actu factō ac sequito. Faciunt huc quoque verba sequentia in nostro capitulo: *ipso opere procedente*, vti in Versione Vulgata extant, quae in Libris *Bασιλικῶν* exprimuntur: *nisi scriptura interuiniente negotium gestum sit, et — — ipso actu processerit.* *¶* Quod si ergo loco suo cecidit aliquis, et ob hunc casum factum debitor militiam adquisiuit, Creditor cuius pecunia effectum est, vt ille loco suo caderet, si hypothecam expressam in militia emta sibi constitui curauit, et, quod hoc capitulum de nouo addidit, præterea pacto a testibus subscripto ibi ratione huius militiae acquirendae de iure praelationis prospexit, Creditor, inquam, talis non solum iure hypothecae vindicare viuo militie militiam potest et distrahere, sed et mortuo eo, commoda ea, quae ex communi placito scholae dari solent, adpetere potest, et si mulier militis de dote contendens forte de ea periclitetur, nam in hac sola specie cedere Creditori mulierem debere sanctum est.

At, inquis forte, cur *IVSTINIANVS* in *Nou. 13.* de solis militiis alienabilibus per Resignationem acquirendis loquitur, cum cibis suis bonis haec similius aut de eiusmodi pignoribus tamen

40) vide 1. 7. C. de prox. sacr. scrin. et in l. 11. C. eod. memorantur

Creditores qui foenus cum mortuo pro statuti loco ei acquirendo contraxerunt.

41) T. IV. pag. 674. confer, sis, mecum fere consentientem *BRVNNEMAN*. in Comment. ad Cod. ad Autb. quod obtinet C. de pignor.

tamen militiarum per mortem vacantium, et eius occasione adquisitarum nouo mili par ratio sit! Respondeo ideo *militis ex casu i. e.* per Resignationem ad quirendis duntaxat suam accommodauit dispositionem Imperator, quia in illis casus, quem decidebat, crebrius eueniebat, contra in militiis per mortem vacantibus minores erant sumtus faciendi, hincque minus frequenter militiarum tali modo quaesitarum hypothecae obserabantur. Nam mortuo milite vnuis ex Supernumerariis succedebat, qui minus soluebat plerumque. Deinde mili resignti liberum erat regulariter tantum pacisci pretium militiae sua, quantum poterat; at mortuo milite Vxor eius et liberi pretium certum et determinatum ex Scholae placito accipiebant. Nec obstat quod *Nouella 97.* etiam de statuto sive de debitore, qui ad id vt fiat statutus, pecuniam soenori sumvit, loquatur. Nam et statutus quis potest fieri per Resignationem militis non praeceps per eius mortem. Qui militiam tenet alienabilem, potest eam aut transferre et resignare in extraneum, aut in eum, qui iam est supernumerarius. Qui posterior sic per illius resigntionem ex supernumerario fit statutus: et hunc casum supponit Imp. in *Nouella 97.*

Concludere nunc disputationem hanc de militiis ex casu possem, nisi propositum esset etiamnum practica quaedam ex dictis elicere: ne pragmaticorum filii, me tractationem prorsus sterilem inutilemque suscepisse, obiectare possint. Dicam itaque breuiter de his, quae argumento militiarum vulgo solent decidi, ostendamque imprimis a Practicis scriptoribus male ab his militiis ad hodierna officia inferri: nam et haec practica sunt.

Primo

Primo itaque obseruo, non dari hodie officia apud nos, quae naturam militiarum Romanarum exacte referant, cum hae potius iam inde a Byzantiis Principibus obsoleuerint. Recte proin in materia *Concursus Creditorum H V B E R V M* 42) sensisse puto, quando ait: *totus hic locus de Creditore militiae bodie non habet usum, quia non habemus id genus militiae.* Nam vbi certum non adest subiectum, ibi et applicatio praedicati cesset oportet. Et haec verissima sunt, nisi forte *CHARONDAE* adsen-tiendum credas, cuius sententia adprobata quaedam officia hodier-na, vti *Canonicatus*, militis ex casu similia erunt. Idem etiam di-cendum putem in materia *Collationis*, quando quaeritur: an militia filio a patre emta ab illo conferenda sit? affirmat id quidem *Imp. IVSTINIANVS* 43), sed non aliter, quam si talis sit militia, *vt vendatur vel mortuo militante certa pecunia ad eius heredes perueniat.* At eiusmodi officia hodie non dantur, et si adsumas quae vulgo Dd. sententia est, *Canonicatus, Vicarius, et id generis praebendas alias ex militiarum iure aestimari posse.* Nam licet concedam, Ca-nonicatus in eo cum militiis conuenire videri, *vt vendi vel, vt ac-curatius dicam, resignari possint, deficit tamen alterum, nempe quod mortuo Canonico certa pecunia ad eius heredes perueniat.* Hanc enim qualitatem non habent haec officia, sed morte Canoni-ci intereunt penitus. Ex parte itaque solummodo, non vero plene, militiis adsimilari possunt. Nec est quod dicas forte ad collationem poscendam alterutrum sufficere, quia non copulatim sed disiunctim vtrumque exigatur a *IVSTINIANO* 44), quem ad modum etiam

C 3

ratio-

42) In praelect. ad ff. tit. qui pot. in pignor. n. 10.

44) in l. 30. §. 2. C. de inoffic. testam.

43) in l. vlt. C. de inoffic. testam. iunct. l. 20. C. de Collat.

ratiocinantem inueni CHIFFLETIVM 45). Nam respondeo, falsum esse sicut iam supra obseruau, diuersas fuisse militias, alias quae vendi possent, et rursum alias quae transmitti in heredes, sed potius eaedem militiae, quae vendi poterant, etiam in heredes transmittebantur, adeoque sensus verborum Iustiniani is solum est: militias illas duntaxat collationi subiacere, quae vendi possunt, vel, si non sint venditiae a viuo militante, ad heredes transeunt. Nulla disiunctio ergo in citata lege occurrit.

Ex his nunc adparet, Canonicatus et similia hodierna officia frustra ope l. 30. C. de inoff. testam. et l. 20. C. de Collat. ad collationem vocari, licet id cum aliis velit L E Y S E R 46), quia ob dissimilitudinem et diuersam naturam iure militarum censer non possunt. Ergo aliunde potius eorum collatio arcessenda est. Neque enim ego is sum, qui Canonicatus eiusmodi filio pecunia patris adquisitos oneri collationis subtraectos velim, iniquum potius esse iudico, si non conferantur. Id tantum volo ex citatis legibus, quae de militiis Roman. tractant, intentionem affirmantium impleri non posse. Rectius meo iudicio is fecerit, qui tum in ratione collationis introducta, quae in aequalitate inter liberos seruanda sita est, tum in NOV. XIX. cap. 6. quae omnia data conserre imbet, nisi adscendens expressim designauerit se nolle collationi locum esse, suae intentionis fundamentum collocat. Hoc vero sic stabilito id etiamnum porro inde sequetur, vt filius, qui ad Collationem poscit, non adstrictus sit tantum conserre, quanti tempore mortis paternaे Canonicatus vel praebenda vendi potest 47), sed duntaxat pretium a patre pro Ca-

noni-

45) in Libro de portionibus, qui extat in Thes. Otton. T. IV. p. 757. cap. 14.

46) in Medit. ad ff. spec. 411. med. 4.

47) vti habetur in l. 30. C. de inoff. testam. et l. 20. C. de Collat.

nōnicatu datum, licet nunc, tempore mortis, Canonicatns cārius multo vendi posset, aut filius in superiorem gradum interim adscenderit, augmentumque reddituum inde consequutus sit. Sic facile componuntur et conquiescunt bene longae satisque litigiosae controversiae, quas super hac re inter Dd. agitari nemini obscurum est.

Praeterea obseruare iuuabit, nimis superficiarie in plerisque Compendiis iuris 48) tradi, Creditorem qui ad militiam consequendam credidit, mulieri ratione dotis praeferriri. Nam talis non simpliciter et absolute mulieri de dote contendenti p̄aeponitur in bonis mariti omnibus sed duntaxat in militia, inque eo quod mortuo milite occasione militiae heredibus dari solet, quod placitum scholae, alii etiam casum militiae seu commodum caducae militiae adpellant. Est enim eiusmodi Creditoris hypotheca duntaxat specialis, et intuitu certae rei id est: ipsius militiae priuilegiata; ad cetera vero mariti bona non pertinet. Vnde et vltima verba NOV. XCVII. c. 4. in Libris βασιλικῶν 49) ita traducta leguntur: *In ceteris omnibus (scilicet rebus) muliere praferenda secundum priuilegium, quod ipsis dudum a nobis concessum est.*

Vterius anidmaduerto, multos casum militiae, quem vocant, siue id, quod mortuo milite eius heredibus dari solet in

48) ad tit. ff. qui potiores in pignore. vel ad tit. ff. de rebus auctorit, iudicis possidēndis.

49) Lib. 29. tit. 2. Tom. IV. pag. 674.

in militiis alienabilibus, et quod fere pretium ipsius militiae et aestimatio erat, confundere cum priuilegio transmittendi Salarii residui temporis, vel proxime in sequentis anni ad liberos successoresque, cum tamen haec duo iure Rom. distincta utique fuerint atque diuersa. Cognosci hoc exinde satis potest, quod utrumque ius non semper vni eidemque militiae competit. Sic Aduocatis fisci indulatum quidem est priuilegium transmittendi Salarii 50); at casus militiae, quem vocant, eorum heredibus non prodest 51). Cognosci porro potest ex collatione legum, quae de commido caducae militiae agunt 52), et legum earum, quae de salarii transmissione agunt 53). Cognosci denique aperte potest ex constitutione ANASTASII 54), quae utriusque rei distinctam mentionem facit. Atque ex tali confusione profluxisse censeo, quando nonnulli Dd. casum militiae, quem vocant, etiam in hodiernis officiis quibusdam (qui tamen penitus cessat in iis, posito etiam, quod de cetero quaedam cum militiis similitudo adsit,) reperiisse sibi videntur, eoque referunt annum gratiae, das Gnadenjahr, siue illud temporis spatium, intra quod vidua et descendentes emolumenta officii, quod defensus habuit, ex prouisione legis consequuntur 55). Id quod vero

quam

50) per l. 15. §. 1. C. de Aduoc.  
diuersi iudicior.

51) vide l. 13. C. cod. in fin.

52) vti l. 30. C. de inoff. testam.  
l. vlt. C. de pignor.

53) vti l. 15. §. 1. C. de Aduoc.  
diuersi iudicior. nec non l. 3. C.  
de Agent. in Reb. et l. 1. C. de  
primipil.

54) in l. 11. C. de proxim. sacr.  
scrinior.


55) vide RICHTER. in Ex-  
posit. Authentic. quod obtinet  
C. de pignor. et hypoth. pag.  
318. CARPOZOV. II. const.  
f. def. 10. n. 3. 4.

quam parum accurate dictum sit, ex antea dictis colligi facile potest ac intelligi. Quemadmodum etiam, ut hoc obiter adiiciam, fundamento iuris substituitur, quando priuilegium illud, quod iure Romano Aduocatis fisci et nonnullis alis datum esse diximus, ad omnes Aduocatos et omnes Salariatos trahunt, atque generaliter adserunt: annum Salarium deberi Aduocato imo vinicuique salariato, et si is intra annum decesserit 56). Sed hunc errorem et informem methodum, qua ab exceptionibus regula desumitur, alii iam notarunt satis 57).

Tandem adiicio, illos abuti NOVELLA XCVII. cap. 4. qui ordinem classis secundae Creditorum in concursu ita instruunt, ut primo loco ponant eum, qui ad militiam credit, secundo Vxorem ratione dotis, et tertio denum fiscum ex causa primipilari. Hi enim pro tuendo hoc suo ordine allegant Nouellae citatae verba: *aliis omnibus*, praeter Creditorem ad militiam, *pracualere mulierem*, item verba: *huius soli casui cedere mulierem*. Si ergo, inquiunt, mulier ei soli cedit, qui credit in militiam, oportet mulieri cedere fiscum

<sup>56)</sup> vide CVIAC. ad l. 4. C. de Domest. et Protector. VOET. ad ff. tit. de postulando §. 8. BARDILI de Salariis §. 44. CARPOV. p. II. const. §. def. MYNSING. III. Obseru. 8. LUDOVICI Doctr. ff. tit. de postulando §. 10. MEV. p. IV. Decis. 200.

<sup>57)</sup> vide BÖHMER. in I. E. P. L. 3. tit. 5. §. 229. seq. STRYK in Not. ad Lauterbach. tit. de postulando verb: *integrum debetur*. TITIVM in iur. priu. L. 9. cap. 8. §. 5. WISSEN- BACH ad ff. P. 2. disp. 42. n. 13. et ad Cod. tit. de Aduoc. diuers. Iudicior. n. 2.



fisciū in causa primipili, ac proinde per hanc Nouellam leges anteriores 58) contrarium fancientes abrogatae sunt. Non fert mei instituti ratio, vt multis conquisitis rationibus fisciū causam agam, eumque in primum locum huius classis, quo deturbare eundem hi Dd. instituerunt, restituam; fecerunt id etiam iam alii argumentis sat validis, in quibus eminet perill. BRAVN 59), quem honoris causa nomino: mihi constitutum solummodo est euertere argumentum, quod pro sua sententia ex NOVELLAE XCVII. verbis defumere solent. Evidem et alii iam ad id responderunt: generalem tantum esse Nouellae dispositionem, leges vero anteriores speciales per legem posteriorem generalem non mutari, nihilque adeo ex iis, quae iure Codicis statuta sunt, iure Nouellarum hac in re immutatum esse. Neque solere Iustinianum tam perfunctorie ius vetus abrogare, cum adparatu verborum id agere solitum 60). Probo has responsiones, sed tamen multo facilius ad hoc dubium ita responderi posse censeo, vt verba Nouellae: mulierem huc soli casui cedere, vel vti Versio HOMBERGIANA habet: vt in hac sola specie mulier cedat, referenda dicam, ad solos creditores de quibus Nouella loquitur. Nempe Imperator vult dicere his verbis, Creditores qui ad militiam crediderunt, in hoc solo casu Vxori praeferti debere, si pacto in scripturam redacto, vt ibi praescriptum est, et a testibus subscripto fibi de prioritate et praelatione prae dote ratione huius militiae.

58) nempe l. 3. et l. 4. C. de primipil.

59) in diff. de debito primipilari.

60) vide BRAVNII cit. diff.

§. 9. HVBERI paelect. ad

ff. tit. qui potiores in pign.

n. 10. IADOMAICLIP. 4. 8.

militiae prospicerint. Hoc vero pacto neglecto eosdem non praeferriri vult Imperator, sed mulierem potiorem esse, ob defectum scriptae a lege pro forma requisitae. Quibus verbis ita, ut decet, expositis, nihil inde contra fiscum exculpi potest. Consequitur inde potius, fiscum in causa primipili semper primum obtinere locum, et post hunc aliquando secundo loco venire Creditorem militiae, si nempe pacto speciali sibi ita, vti modo dictum, prospexit, aliquando vero tertium demum locum occupare, si nimirum tale pactum interponere neglexit, tunc enim **Vxor ratione dotis secundum locum obtinebit.** Sed de his

### T A N T V M.



Ne pagina haec vacet, placet subiungere  
**CONSPECTVM GENERALEM**

præsentis Disquisitionis.

Postquam in genere de *militiis* earumque indole apud Romanos  
actum fuit pag. 1. 8.

Transitus fit ad *militias ex casu*, et quid hoc nomine veniat, in-  
dagatur pag. 8.

Atque primo quidem celebriorum Interpretum sententiae enarran-  
tur, simulque quid Auctorem contra eisdem dubitare coegerit,  
indicatur. vt TAVRELLI pag. 8. et 9.

ANTONII AVGUSTINI

CONNANI

CHARONDÆ

MASCOVII

CVIACII cum adseclis

pag. 10.

pag. 10. et 11.

pag. 11. et 12.

pag. 12. et 13.

pag. 13. 14. 15.

Deinde Auctor suam sententiam proponit et confirmare studet pag. 15. 16.  
eamque textibus, qui de militiis ex casu tractant, adplicat pag. 16. 17. 18. sq.

Tandemque practica quaedam, in primis de iis, quae hodie argumento  
militiarum tam in materia Concursus Creditorum, quam in  
materia Collationis, aliasque decidi solent, subiunguntur pag. 20. 21. seq.  
et disquisitio concluditur.



Kb5381



3

UDNB





Bi. 42. 11. 11.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Farbkarte #13

Blue

Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches

CHRISTIAN. FRIDER. IMMAN. SCHORCH  
IN UNIVERSITATE ERFORD. PROF. PVBL.  
ORDINARII

DE

# ILITIIS EX CASV

AD NOVELL. 53. C. 5.

## DISQVISITIO.



Kb 5381

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE  
MDCC LXIX.

